



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 47. Seditiosi Narbonensium & Rupellensium motus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

ejusque liberi pristinis redderentur honorum, dignitatumque gradibus: Annuit Rex clementissimus, ac Forcæum præter donata bis centum aureorum milia, Franciæ Marefcallum renuntiavit: urbium tamen ac munitio- num mænia solo æquari jussit: Hac demum ratione Petragorici Regi fuere subjecti, ac Religio Catholica jam per quinquaginta annos eliminata in sanctæ Fidei oppidum revocata est. Victores igitur Princeps Condæus, ac Elebovius Dux die vigesima quarta Maij urbem ingressi sunt; ac biduo post, Festum Eucharistico Deo sacrum solemniter celebratum est; ipso Rege, qui prius sacram Synaxin sumpserat, publicam supplicationem comitante, unacum Radesiano Cardinale, & Procerum quamplurimis. Umbraculum vero, sub quo Turonensis Episcopus sacram Hostiam deferebat, Condæus Princeps, Uticensis, & Radesianus Duces necnon Braslinius Marefcallus gestabant.

Sæc. XVII.  
A. C. 1622.

§. XLVII.

*Seditiosi Narbonensium & Rupellensium motus.*

Forcæo tandem ad Regis obsequium revocato ex Calvinistarum Principibus soli Rohanæi fratres debellandi

*Calmet Hist. Univ. l. 151.*

*Hist. Eccles. Tom. LVII. Mæ su-*

Sæc. XVII. supererant, nec id levis negotii res e-  
 A. C. 1622. rat; Senior enim Rohanæus non modo  
 militari experientia ac fortitudine ce-  
 leber, sed ipsam quoque belli fortu-  
 nam sibi ferme semper secundam ex-  
 pertus, necnon copiosissimis, quas tota  
 Calviniana factio abunde suppeditabat,  
 auxiliis suffultus, non raro Regios su-  
 peraverat, viribusque suis majora ag-  
 grediebatur. His quoque sat oppor-  
 tune acciderant ceterorum Calvinista-  
 rum seditiones, ac præcipue novi mo-  
 tus, quos Calvinistæ in Narbonensi  
 Gallia, Aquitania, Pictaviensi Pro-  
 vincia, Occidania & Delphinatu redin-  
 tegrarunt, omnesque Ecclesiasticos ce-  
 terosque Catholicos urbibus suis pro-  
 pulsarunt, templisque & Oratoriis fun-  
 ditus everfis, cuncta suo furori lita-  
 runt. Rupellenses identidem vicina in-  
 festabant oppida, & Subisius Dux vio-  
 latis, quæ Engeriaco capto fecerat,  
 promissis militiæ Rupellensis Ducem  
 agebat, adjunctoque sibi Fabosio præ-  
 ter Royanum oppidum dolo interce-  
 ptum Oleroniam & Argentoniam Insu-  
 las occupabat, in prædam concessis in-  
 colarum bonis, ac demum promotis  
 castris Sulacum Medocunensis ditionis  
 Metropolin suis armis subjiciens, San-  
 tonum quoque Provinciam occupato  
 Talmontio, aliisque quamplurimis op-  
 pidis

pidis afflixit, ac integram legionem Sæc. XVII.  
 unacum Ductore suo San-Lucano tru- A. C. 1622.  
 cidavit: inde vero audacior factus Pi-  
 ctiones, Andegavenses, Armoricos, &  
 Normanos Calvinistas suis partibus ad-  
 junxit.

## §. XLVIII.

*Seria deliberatio in Regis Senatu  
 habita de pace Calvinistis  
 reddenda.*

Hæc omnia non sine maximo doloris Calmet &  
 Gramond.  
 sensu perceperat Rex: unde fide- l. c.  
 lis sui populi calamitates injuriasque  
 Regiæ suæ auctoritati per iteratam re-  
 bellium perfidiam illatas ulturus, ipse-  
 met in hosce rebelles movere, eosque  
 armorum vi ad officium redigere sta-  
 tuit: Sub idem tempus Lediguerius,  
 alias Regi fidelissimus, nunc tamen adul-  
 terino fors sectæ studio excæcatus, pa-  
 cem pro Calvinistis sollicitabat, datis  
 ad Regem literis hæc exponens: „Bel-  
 „lo intestino desolatæ Provinciæ, sa-  
 „tati sanguine suo Galli, tristi expe-  
 „rientia agnoscunt, nullam esse bello  
 „Salutem. Dum se viribus ipsa suis  
 „Gallia destituit, Austriaca gens (quæ  
 „Principes Europæos una petit) auge-  
 „tur in Germania, prostratoque peni-  
 „tus Friderico nedum Bohemiam, sed